

Disputatio philosophica v. continens quaestionum physicarum, sive physiologicarum, quintam de anima mundi ... / defendet Gulielmus Roell.

Contributors

Roell, Willem.
Andala, Ruardus, 1665-1727.
Universiteit van Friesland.

Publication/Creation

Franequerae (Franeker]) : Excudit Henricus Halma ..., 1720.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/nr3b96ky>

License and attribution

This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.



Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

DISPUTATIO PHILOSOPHICA V.

Continens

QUÆSTIONUM PHYSICARUM,
five PHYSIOLOGICARUM,

Quintam

D E

ANIMA MUNDI.

QUAM

FAVENTE DEO,
SUB PRÆSIDIO

Viri Clarissimi,

D. RUARDI ANDALA,

A. L. M. Phil. & S.S. Theol. Doctoris
& Professoris Ordinarii,

in Privato Auditorio defendet

GUILIELMUS ROELL, H. A. F.

Franequera Frisus.

A. D. 20. Nov. MDCCXX. hora duodecima.



FRANEQUERÆ,

Excudit HENRICUS HALMA, Illustr. Frisicæ Ordd.
atque Eorundem Academiæ Typograph. Ordinar. MDCCXX.

(Pag. 1.)



DISPUTATIO PHILOSOPHICA V.

Continens

QUÆSTIONUM PHYSICARUM,

five

PHYSIOLOGICARUM,

Quintam

D E

ANIMA MUNDI.

Durimorum & gravissimorum errorum fons fuit confusio animæ & corporis. Hinc orta est opinio de triplice anima, five quod *animam* conceperint ut *genus*, cujus species sint *animarationalis*, *sensitiva* & *vegetativa*; ac si *anima* diceret genericam quandam naturam, quæ pro varia differentia constitutiva esset vel *rationalis*, vel *sensitiva*, vel *vegetativa*; cum *anima rationalis*, cogitans, mens, toto genere & natura distinguatur à vi corporea *vege-*

A

tativa

tativa & sensitiva. In eodem confusionis luto hærent, qui brutis tribuunt sensum cum perceptione, nec tamen substantiam intelligentem, cogitantem, à corpore distinctam. Errores Anthropomorphitarum ex eodem fonte manarunt, nec non plurimorum gentilium, qui ideam Dei habentes, sed ad eam non recte attendentes, perversis subjectis, & quidem corporeis, Divinas Perfectiones attribuerunt, & Solem, Lunam, Stellas, defunctos homines &c. pro diis habuerunt. Pythagorei, Platonici, & Stoici, qui *Animam* quandam *mundi* statuerunt, eamque vel pro Deo habuerunt, vel Deum ut mundo corporeo insertum, & per totam rerum naturam pertinentem & diffusum, conceperunt, gravissime etiam heic hallucinati sunt, nec Deum ut Spiritum & mentem Perfectissimam ab ejus opere, à mundo corporeo & extenso, recte distinxerunt, sed cum eo confuderunt. Quod abunde patebit ex iis, quæ hac Disputatione de eorum *Anima Mundi* proferre proposueramus.

II. Pervulgata admodum est & nota Pythagoreorum, Platoniorum, Stoicorum, aliorumque opinio de *Anima mundi*. Licet autem Apologiæ pro vera & saniore Philosophia Dissert. 2. de *Spinofo Stoicismo Spinozismi fonte* agentes, quædam ex Stoicis huc pertinentia citaverimus, hæc tamen paulo specialius & fusius heic exponere, & deinceps breviter confutare lubet. *Plutarchus* de *Placitis Philosophorum* Lib. 2. Cap. 3. inquit; *Εἰ ἔμψυχος ὁ κόσμος; An mundus sit animatus? Οἱ μὲν ἄλλοι* (scribit) *πάντες ἔμψυχον τὸν κόσμον ἢ προνοίᾳ διοικῶμενον. Δημόκριτος δὲ ἢ Επίκροτος ἢ ὅσοι τὰ ἄτομα εἰσηγῶνται ἢ τὸ κενόν, ἔτε ἔμψυχον, ἔτε προνοίᾳ διοικῆσθαι, φύσει δὲ τινὲς ἀλόγῳ. Ἀριστέλης ἔτε ἔμψυχον ὅλον δι' ὅλων, ἔτε μὴ αἰσθητικόν, ἔτε λογικόν, ἔτε νοερόν, ἔτε προνοίᾳ διοικῶμενον. τὰ μὲν γὰρ*

γὰρ ἄνια τῶν ἀπάντων κοινωεῖν· σφαίρας γὰρ περιέχειν
 μψυχῆς ἢ ζωτικῆς. τὰ δὲ περιγεία μηδενὸς αὐτῶν τῆς δ'
 ὑταξίας κατὰ συμβεβηκός, ἢ προηγεμένως μετέχειν. *Ceteri
 omnes animantem esse, & providentia regi mundum. De-
 mocritus, Epicurus, & quotquot corpusculorum & inanis
 sunt auctores, neque animatum esse, neque providentia regi,
 sed natura quadam rationis experte. Aristoteles neque ani-
 natum totum undequaue, nec vero sensibilem, nec ratio-
 nis compotem vel intellectus, nec providentia gubernari.
 Nam caelestia omnium horum esse consortia: quod sphaeris
 ambiantur animatis & vitalibus. At terra finitima nul-
 lius eorum. Decentem vero compositionem casu, non primi-
 genie obtinere.*

III. Speciatim de Pythagora scribit Cicero Lib. 1.
 de Nat. D. §. 27. *Pythagoras sensit, animum esse per
 naturam rerum omnem intentum, & commeantem, ex quo
 nostri animi carperentur. Hinc Laërtius in Vita Pythagoræ
 scribit §. 28. Εἶναι δὲ τὴν ψυχὴν ἀπόσπασμα αἰθέρος, ἢ
 ἢ θερμῆς ἢ τῆ ψυχρῆς, τῷ συμμετέχειν ψυχρῆς αἰθέρος.
 Animam vero avulsionem aetheris esse, & calidi & fri-
 idi, eo quod sit particeps frigidi aetheris. Pythagoræ ten-
 entiam eodem modo proposuit Minucius Felix in Octa-
 io Cap. 19. §. 7. Et Pythagoræ Deus est animus, per
 universam rerum naturam commeans, & intentus: ex quo
 iam animalium omnium vita capiatur. Sic & Lactantius
 de falsa Sapientia Lib. 1. Cap. 5. §. 17. Pythagoras
 a definiuit, quid esset Deus: Animus, qui per universas
 mundi partes, omnemque naturam commeans atque diffusus;
 ex quo omnia, qua nascuntur, animalia vitam capiunt. De
 origine animarum nostrarum hæc habet Cicero de Se-
 cctute §. 77. 78. Sed credo, Deos immortales sparsisse
 nimos in corpora humana, ut essent, qui terras tuerentur,
 uique caelestium ordinem contemplantes, imitarentur eum*

vite modo, atque constantia. nec me solum ratio, ac disputatio impulit, ut ita crederem; sed nobilitas etiam summorum Philosophorum & auctoritas. Audiebam Pythagoram, Pythagoreosque, incolas sane nostros, qui essent Italici Philosophi quondam nominati, nunquam dubitasse, quin ex universa mente Divina delibatos animos haberemus.

IV. Plato quoque in *Timæo* Animam mundi agnovit, quam tamen ab ipso Deo distinxisse videtur, ut opus ab opifice. *Diogenes Laërtius* Lib. 3. de *Platone* §. 71. κόσμον τε εἶναι ἕνα γεννητόν, ἐπειδὴ καὶ αἰσθητός ἐστιν ὑπὸ Θεῶ κατεσκευασμένος. ἔμφυχόν τε εἶναι, διὰ τὸ κρείττον εἶναι τῷ αἰψύχῳ τὸ ἔμφυχον. *Mundum unum esse genitum, nam & sensibilis est à Deo conditus; animatumque esse, quod prestantius sit quod animatum est, quam quod caret anima. Statim etiam cum appellat δημιούργημα τῆς βελτίστης αἰτίας, opificium optimæ causæ. Pauca etiam verba proferam ex Ciceronis fragmento de universo, sive Platonis *Timæo*, à Cicerone translato. §. 3. Quocirca intelligentiam in animo, animum conclusit in corpore. Sic ratus est opus illud effectum esse pulcherrimum. Quam ob causam non est cunctandum profiteri, si modo investigari aliquid conjectura potest, hunc mundum animal esse, idque intelligens, & divina providentia constitutum..... cuius ergo omne animal quasi particula quaedam est, sive in singulis sive in diverso genere cernatur, ejus similem mundum esse dicamus..... Quod enim pulcherrimum in rerum natura intelligi potest, & quod ex omni parte absolutissimum est, cum Deus similem mundum efficere vellet, animal unum adspectabile, in quo omnia animalia continerentur, effecit. Et §. 6. Animum autem ut in ejus medio collocavit, ita per totum tetendit: deinde eum circumdedit corpore & vestivit extrinsecus; caeloque solivago, & volubili, & in orbem incitato complexus est, quod secum ipsum propter virtutem facile esse posset,*

set, nec desideraret alterum; satis sibi ipsum notum & familiare. Sic Deus ille aternus hunc perfecte beatum Deum procreavit.

V. Hic autem sordescere incipit oratio Platonis. Quare merito scripsit *Minucius Felix* Cap. 19. §. 16. Platonis apertior de Deo, & rebus ipsis, & nominibus oratio est: & que tota esset caelestis, nisi persuasionis civilis nonnunquam admixtione sordesceret. Et *Cicero* Lib. 1. de Nat. D. §. 30. Jam de Platonis inconstantia longum est dicere; qui in *Timao*, patrem hujus mundi nominari neget posse; in legum autem libris, quid sit omnino Deus anquiri oportere non censeat.... Idem & in *Timao* dicit, & in legibus, & mundum Deum esse, & calum, & astra, & terram, & animos, & eos, quos majorum institutis accepimus: quae & per se sunt falsa perspicue, & inter se vehementer repugnantia.

VI. Obscura talia & imperceptibilia fere ibidem addit ipse *Plato* in *Timao* apud *Ciceronem*, §. 7. præmittens, Sed nos multa inconsiderate, ac temere dicimus. Considerentur sequentia; Deus autem & ortu, & virtute antiquiorem genuit animum, eumque ut dominum, atque imperantem, obedienti præfecit corpori, idque mollius tali quodam est modo. Ex materia, quae individua est, & quae semper unius modi, suique similis, & ex ea, quae corporibus dividua gignitur, tertium materia genus ex duobus in medium admiscuit, quod esset ejusdem natura, & quod alterius: idque interjecit inter individuum, atque id, quod dividuum esset in corpore. Ea cum tria sumisset, unam in speciem temperavit: naturamque illam, quam alterius diximus, vel cum eadem conjunxit, fugientem, & ejus copulationis alienam, permiscens cum materia, cum ex tribus effecisset unum, id ipsum in ea, quae decuit, membra partitus est. Jam partes singulas ex eodem, & ex altero, &

ex materia temperavit. Fuit autem talis illa partitio. Sed hæc ibi videatur; est enim imperceptibilis.

VII. Quia tamen Plato *Animam* hanc mundi ut opificium à Deo opifice distinxit, videntur hæc placuisse *Boëthio* de *Consolatione Philosophiæ* Lib. 3. Metro 9.

Tu cuncta superno

Ducis ab exemplo: pulcrum pulcerrimus ipse
Mundum mente gerens, similique imagine formans,
Perfectasque jubens perfectum absolvere partes,
Tu numeris elementa ligas, ut frigora flammis,
Arida convenient liquidis; ne purior ignis
Evolet, aut mersas deducant pondera terras.
Tu triplicis mediam naturæ cuncta moventem
Connectens animam per consona membra resolvis.
Quæ cum secta duos motum glomeravit in orbes,
In semet reditura meat, mentemque profundam
Circuit, & simili convertit imagine calum.
Tu causas animas paribus, vitasque minores
Provehis, & levibus sublimeis curribus aptans
In calum terramque seris: quas lege benigna
Ad te conversas reduci facis igne reverti.

Quomodo hunc *Boëthii* locum, simulque *Animam mundi*, explicet *Eruditissimus Chauvin*, in *Lexico* ejus *Philosophico* videat, cui volupe est, *Lector*; nos quædam etiam ex *Stoicis* de *Anima mundi* proferemus.

VIII. *Stoici* Deum huic mundo immerferunt, opificem cum suo opificio sive cum mundo confuderunt, & mundum corporeum pro corpore Dei, *Animam mundi* pro anima & spiritu Dei, sive pro ipso Deo, quin singulas mundi portiones pro totidem Dei particulis habuerunt. *Sextus Empiricus* Libr. 3. *Pyrrhonia-*
rum

rum Hypotypôsewn Cap. 24. varias circa Deum opiniones recensens, scribit, Στωικοὶ δὲ, πνεῦμα, διῆκον δὲ καὶ διὰ τῶν εἰδεχθῶν. Stoici autem, spiritum pervadentem etiam per illa à quorum adpectu quis abhorreat. Sic Seneca de Beneficiis Lib. 4. Cap. 7. *Quid aliud est natura, quam Deus, & Divina ratio, toti mundo & partibus ejus inserta? Postea; Quocumque te flexeris, ibi illum videbis occurrentem tibi. nihil ab illo vacat: opus suum ipse implet. Ergo nihil agis ingratiſſime mortalium, qui te negas Deo debere, sed naturæ; quia nec natura sine Deo est, nec Deus sine natura, sed idem est utrumque, nec distat. Et in Præfat. Quæst. Nat. Quid est Deus? Mens universi. Quid est Deus? Quod vides totum, & quod non vides totum... Quid ergo interest inter naturam Dei & nostram? nostri melior pars, animus est; in illo, nulla pars extra animum; totus ratio est. Rursus Quæst. Nat. Lib. 2. Cap. 45. Vis illum naturam vocare? non peccabis. Est enim, ex quo nata sunt omnia, cujus spiritu vivimus. Vis illum vocare mundum? non falleris. Ipse enim est, totum quod vides, totus suis partibus inditus, & se sustinens vi sua. Sic Epist. 65. universa ex materia & ex Deo constant;... Quem in hoc mundo locum Deus obtinet, hunc in homine animus: quod est illic materia, id nobis corpus est. Et Epist. 92. Totum hoc, quo continemur, & unum est, & Deus. Et socii ejus sumus & membra.*

IX. Augustinus scribit de Civitate Dei Lib. 7. Cap. 6. Varro de Naturali Theologia preloquens dicit, DEUM se arbitrari ANIMAM MUNDI... & ipsum mundum esse Deum. Addit, Sed sicut hominem sapientem, cum sit ex corpore & animo, tamen ab animo dici sapientem; ita mundum Deum dici ab animo, cum sit ex animo & corpore. Sed Varro ipse à Cicerone ita de Stoicis differens introducitur Lib. 1. Academ. Quæst. §. 24. De

natura

natura autem ita dicebant, ut eam dividerent in res duas; ut altera esset efficiens, altera autem quasi huic se prabens, ea, quæ efficeretur aliquid. In eo, quod efficeret, vim esse censebant; in eo autem, quod efficeretur, materiam quandam: in utroque tamen utrumque. neque enim materiam ipsam coherere potuisse, si nulla vi contineretur, neque vim sine aliqua materia. Nihil est enim, quod non alicubi esse cogatur. Et §. 28. 29. Partes autem esse mundi, omnia, quæ insint in eo, quæ natura sentiente teneantur: in qua ratio perfecta insit, quæ sit eadem sempiterna. Nihil enim valentius esse, à quo intereat, quam vim ANIMUM esse dicunt mundi, eandemque esse mentem, sapientiamque perfectam; quem Deum appellant, omniumque rerum, quæ sunt ei subjectæ, quasi prudentiam quandam, procurantem cælestia maxime, deinde in terris ea, quæ pertinent ad homines: quam interdum necessitatem appellant; &c.

X. Balbus autem Stoicus sic apud Ciceronem Lib. 2. de Nat. D. §. 21. ex Zenone brevius & presse, quæ ab ipso dilatantur, disserit; Quod ratione utitur, id melius est, quam id, quod ratione non utitur. Nihil autem mundo melius. ratione igitur mundus utitur. Similiter effici potest, sapientem esse mundum: similiter, beatum; similiter, æternum. Omnia enim hæc meliora sunt quam ea, quæ sunt his carentia: nec mundo quicquam melius: ex quo efficitur, esse mundum Deum. Idemque hoc modo: (quæ erit nova argumentatio,) Nullius sensu carentis pars aliqua potest esse sentiens. Mundi autem partes sentientes sunt: non igitur caret sensu mundus. Pergit idem, & urget angustius, nim. Zeno; Nihil, quod animi, quodque rationis est expers, id generare ex se potest animantem, competentemque rationis. Mundus autem generat animantes, competentemque rationis. Quæ in seqq. fusius exsequitur, concludens §. 47. Ita efficitur, animantem, sensus, mentis, rationis

ationis mundum esse compotem. qua ratione, Deum esse mundum, concluditur.

XI. Hinc abunde liquet, quod hæc *Anima mundi* consideretur à plurimis ut *informans*, quod tanto corpori inserta vastissimum animal perficiat, & tot diversarum naturarum partes ut unius animalis membra sociabili nexu copulet & connectat; licet quibusdam videatur esse tantum *assistens*, quæ tanquam universale principium ratione quadam omnia moveat & dirigat, tanquam ἀνεμος, *ventus*; unde vox *animus*.

XII. Notandum denique, ipsos concepisse *Animam mundi* ut quaquaversus extensam, capacem motus, per totam rerum naturam commeantem & pertinentem; instar *aqua, aëris, & ignis* liquidam; τὸ πνεῦμα, dixit *Zeno*, διήκον δι' ὅλης τῆς κόσμου. Sic *Balbus* apud *Ciceronem* Lib. 2. de Nat. D. §. 57. dicit, *Zenonem* definire *naturam*, quod sit *ignis artificiosus ad signendum progrediens via*. Addit §. 58. quod & *natura* dicatur ab eodem *Zenone* *artifex, consultrix & provida utilitatum, opportunitatumque omnium*. Hæc ei est *Mens mundi*, quæ ob eam causam vel *prudencia, vel providencia* appellari recte possit, (*Græce enim πρόνοια dicitur*), hac potissimum providet, & in his maxime est occupata, primum ut mundus quam aptissimus sit ad permanendum; deinde ut nulla re egeat; maxime autem ut in eo eximia pulcritudo sit, atque omnis ornatus. Stoici nempe omnem vim & vitam mundi in igne ponebant. Hunc *Laërtius* in *Zenone* πῦρ τεχνικὸν ignem artificialem dicit, & explicat, ὅπερ ἐστὶ, πνεῦμα πυροειδὲς ἢ τεχνοειδὲς, quod sit *spiritus ignis & artis similitudinem præ se ferens*. Sic *Heraclitus* Deum definivit, περιδικὸν πῦρ αἰδίου, *ambientem five circumstantem ignem æternum*.

XIII. Hinc intelligi possunt, quæ de *Anima mundi*

mundi habet Poëtarum Princeps Æneid. Lib. 6.
V. 724.

*Principio calum, ac terras, camposque liquentes,
Lucentemque globum Luna, Titaniaque astra
Spiritus intus alit, totamque infusa per artus
Mens agitat molem, & magno se corpore miscet.
Inde hominum pecudumque genus, vitæque volantium,
Et qua marmoreo fert monstra sub æquore pontus.
Igneus est ollis vigor, & cælestis origo
Seminibus: quantum non noxia corpora tardant,
Terrenique hebetant artus, moribundaque membra.*

Carolus Ruæus, Soc. Jesu, qui Virgilium in usum Delphini edidit, existimat in Diss. ad h. l. Virgilium Platoni (temperatorem quandam statuente, ex qua mundi Animam formaverat Deus, & ex reliquiis ejus singulare animas viventium;) heic potius adhæsisse, quam Pythagora, qui ex Deo, mundi Anima, decerptas finxit vitas hominum & pecudum. Quod tamen Virgilius hanc Animam Mundi pro Deo ipso habuerit cum Pythagoreis & Stoicis, patet satis ex Lib. 4. Georg. V. 220.

*His quidam signis, atque hac exempla secuti,
Esse apibus partem Divina mentis, & haustus
Ætherios dixere: Deum namque ire per omnes
Terrasque tractusque maris calumque profundum.
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque sibi tenues nascentem arcessere vitas.
Scilicet huc reddi deinde, ac resoluta referri
Omnia; nec morti esse locum; sed viva volare
Sideris in numerum, atque alto succedere calo.*

Servius ad eum locum Pythagoræ opinionem sic explicat; omnia animalia ex quatuor elementis & Divino spiritu

ritu conflare manifestum est. Trahunt enim à terra carnem, ab aqua humorem, ab aëre anhelitum, ab igne fervorem, à Divino spiritu ingenium; quod quia est in apibus, sicut in hominibus, (namque metunt, cupiunt, dolent, gaudent; quæ probantur ex his quæ faciunt: dimicant enim, colligunt flores, prævident pluvias,) fateamur necesse est, etiam apes partem habere divinitatis.

XIV. Pythagorei, Platonici & Stoici, Animam mundi statuentes, finxerunt totum hoc universum, sic & tellurem esse animal, quod inspirando & expirando efficeret fluxum & refluxum maris; atque hanc esse causam æstus maris. Hinc Pomponius Mela de situ orbis Lib. 3. Cap. 1. scribit, Neque adhuc satis cognitum est anhelitune suo id mundus efficiat; retractamque cum spiritu regerat undam undique, si (ut doctioribus placet,) unum animal est: an sint depressi aliqui specus, quo reciproca maria residant, atque inde se rursus exuberantia attollant: an luna causas tantis meatibus præbeat, ad ortus certe ejus occasusque variantur: neque eodem assidue tempore, sed ut illa surgit ac demergitur, ita recedere atque adventare comperimus. Eandem opinionem Varenius Geograph. Gen. Lib. 1. Cap. 14. Prop. 11. præter alias recenset. Alios prætereo; quos citat Gassendus Meteorolog. Epicuri pag. 562. de æstu maris agens.

XV. Uti autem Pythagorei, Platonici, & Stoici totum mundum statuebant animatum, Aristoteles vero cælum, orbisque cælestes; (hos enim ab intelligentiis circummagi voluit;) ita Gilbertus, præcipuus magneti-
cæ virtutis, ejusque quæ in terra, maximo magnete, est, primus inventor, Terram, domicilium nostrum, omnesque magnetes animatos statuit; & ab hac anima omnes directiones & motus magneticos arcessit, Lib. 2. Cap. 4. & Lib. 6. Cap. 12. Imo monstrum istud in

Aristotelico mundo ei videtur, in quo omnia perfecta, vivida, animata, unica vero terra, infelix, pars pusilla, imperfecta, mortua, inanimata, & caduca. Contra vero Hermes, Zoroaster, Orpheus, universalem agnoscunt animam. Nos vero animatum totum mundum, omnes globos, astra omnia, tellurem etiam inclytam, propriis & destinatis animis ab initio gubernari, motusque sua conservationis habere existimamus. Et infra; Misera conditio astrorum, abjecta sors telluris, si eximia illa animæ dignitas, qua vermibus, formicis, blattis, stirpibus, & fungis concessa est, illis denegata sit; sic namque vermes, blatta, tinea, corpora essent in natura decora magis & perfecta; sine anima enim nullum corpus est eximium, pretiosum, aut egregium. Ipse Gassendus observat Physiologiæ Epicuri pag. 200-202. non tantum existentem in magnete vim, & transfusam ab ipso in ferrum, habere quid analogum vita, animeque plantarum; sed etiam, videri esse in magnete, ac ferro vim quandam analogam sensui; id nempe propter attractionem haud ab similem animali. Et infra; Quidni ergo credere liceat, esse in ferro, nisi animam, at aliquid certe analogum anime, quod tamen si tenuissimum, transferre tamen reliquam massam, licet valde gravem, ac inertem possit.

XVI. Originem hujus opinionis de *Anima mundi* si investigemus, ea hæc esse videtur; deprehenderunt innumerabiles motus in corporibus quibuscunque, sive continuos & perennes, uti in corporibus cælestibus; sive & intrinsecos, quorum causæ non videntur; E. Gr. in plantis & animalibus: sic in igne, magnete &c. Nullum autem à se & per se movetur, sed ab alio; & hoc ab alio. Quæsivere tandem causam, à qua omnis esset motus in universo mundo, vel & particularum in quovis corpore moto. Quia autem in se experiebantur,

animam,

animam, quæ est in corpore nostro, & cum eo con-
 nexa, variis modis corpus nostrum ejusque membra
 movere; proclive ipsis visum fuit cogitare, tum in
 singulis corporibus, quæ moventur, esse animas, eo-
 rum motuum causas, tum in toto universo similiter esse
 animam quandam universalem, omnium eorum mo-
 tuum causam. Quia autem *ventus*, ἀνεμος dictus, est
 occulta plurimorum motuum causa, inde usus obti-
 nuit, ut insitum occultumque (quicquid id quoque sit,) *perennis* & *continuae* motionis principium vocaretur
 ἀνεμος. Sic *Plutarchus* scribit de Philosophorum Placi-
 tis Lib. 4. Cap. 2. quod *Thales animam* dixerit φύσιν
 αἰετὴν ἢ αὐτοκίνητον, *naturam semper aut sua sponte mo-
 bilem*. *Pythagoras*, numerum seipsum moventem. *Plato*,
 ψῆσαν νοητὴν ἐξ ἑαυτῆς κινήτην, *essentiam intellectualem per se
 mobilem*: &c. Addit Cap. 3. *Anaxagoræ* Ασπεκλασεῖαν
 dixisse ἀεροειδῆ τε ἢ σῶμα, *aëream quid esse, & corpus*;
Stoicos, πνεῦμα θερμὸν, *spiritum calidum*. De *Platone*
 explicat Cap. 6. Πλάτων αἰετὴν τὴν ψυχὴν, τὸν δὲ νῦν
 ἀκίνητον τῆς μεταβατικῆς κινήσεως, *Plato moveri perpetuo
 animam, immotam autem mentem esse, motu transgressi-
 bili*. Et de *Genitura anima*, quæ in *Timæo* *Platonis*,
 scribit, Ἀριθμὸν γὰρ ὁ Πλάτων εἰδέποτε τὴν ψυχὴν προσεῖπεν,
 ἀλλὰ κινήσειν αὐτοκίνητον αἰεὶ, ἢ κινήσεως πηγὴν ἢ ἀρχὴν.
*Numerum quidem Plato nunquam animam appellavit, sed
 naturam sua sponte perpetuo mobilem, motusque fontem &
 principium*. Et *animam mundi* infra dicit μεταβολῆς ἢ κι-
 νήσεως πάσης ἡγεμόνα ἢ πρωτεργὸν ἐγκαθεσῶσαν, *animam
 (corpore antiquiorem) omnis mutationis & motus ducem
 auctorem & architectum, in corpore collocatum*.

XVII. *Causa*, cur tam multa de *Anima mundi*
 (omissis tamen maxime intricatis & imperceptibilibus
 aliis ex *Timæo* *Platonis*, &c.) ex illis Philosophis pro-

ferre voluimus ; non una est. 1. ut ea istorum opinio
 clare ex ipsis cognoscatur. 2. Ut constet, quam obtu-
 ram & confusam naturæ & substantiæ animæ sive men-
 tis cogitantis, ejusque à corpore, sive subtili, aëre,
 æthere, vento, halitu, spiritu, igne, sive à crasso,
 distinctionis cognitionem habuerint ; imo quantopere
 ipsum creatorem cum creatura confuderint. 3. Ut ho-
 die diligenter vigilemus, & caveamus, ne quis sub spe-
 ciosis, novis, aliis & aliis vocibus, nobis obtrudat &
 revocet sive Pythagoreorum, sive Platoniorum, sive
 Stoicorum dogmata, vel eadem, vel nonnihil immu-
 tata, vel etiam deteriora reddita. Quod à B. D. S.
 factum esse demonstravimus Diss. 2. Apologiæ pro vera
 & saniore Philosophia. Ibid. etiam §. 11. verbo innui-
 mus, ab hac *anima mundi*, quam *Antoninus* Philoso-
 phus *καθολικὴν universalem* dixit, effictam esse *univer-
 salem cogitationem* W. Deurhoff. Caveamus ergo, ne
 quis fingat fatalem omnium rerum necessitatem, ex-
 cluso liberrimo Dei, à mundo diversissimi, mentis
 æternæ & perfectissimæ, de iis omnibus decreto, &
 liberrima, licet respectu decreti certo futura, omnium
 efficace operatione ; ne quis pro Deo habeat, sive no-
 mine *Dei* subdole appellet, spatium, ens infinitum,
 sive naturam, cujus duo essent attributa, *infinita ex-
 tensio & infinita cogitatio* ; ne fingat extensionem, in
 initio ortam, cui omnia impressa essent, quæcunque
 ei accidunt ; sive principia, causas, semina omnium
 rerum, unde res omnes necessario absque prima & con-
 tinuata, vera Dei creatione, efferrentur, eorumque
 seriem in infinitum continuatam ; ita ut nulla fuissent
 prima.

XVIII. Ne Lector à me hic expectet prolixam
 & operosam confutationem hujus figmenti de *Anima
 mundi*,

mundi, de mundo animato, sentiente, intelligente, quin ipso Deo; de *anima mundi* ut mente Dei; de omnibus corporibus, ut partibus, membris, corpore Dei, sine quo Deus esse non posset: ea per Dei gratiam etiamnum vivimus tempora, & talia semper erunt, ut (quicquid etiam moliantur, quicquid gloriantur impii homines de tantum non explosa, neglecta, sprete istac philosophandi ratione, quam suo proposito maxime obstare satis perspectum habent,) assumere, & supponere liceat veritates inconcussas, sæpe à nobis demonstratas, de distinctione animæ à corpore, & Dei à mundo suo opificio. Attamen pauca de figmento *Anima mundi*, quæ ad ejus confutationem sufficere abunde poterunt, heic subjungemus.

XIX. Inter opinionem *Pythagoreorum & Stoicorum* & inter *Platonis* opinionem hæc maxime videtur esse differentia, quod priores *Animam mundi* pro ipso Deo & mente Divina habuerint; cum tamen *Plato* eam à Deo creatam & productam statuatur. Adeoque duplici hac ratione examen opinionis de *Anima mundi* instituemus; 1. ostensuri, *Animam mundi* neutiquam esse Deum ipsum; 2. nec quoque opus Dei; sed esse figmentum, nullo fundamento nixum, plurimisque absurditatibus scatens.

XX. Quod attinet ad prius, *Animam mundi* non esse mentem Dei, sive Deum ipsum, per totum mundum pertinentem & diffusum, probatur 1. ex idea Dei, quæ nobis repræsentat Ens summe Perfectum, sive Mentem Perfectissimam, substantiam sibi ad existendum sine ullo subjecto sufficientissimam; independentem ab omni re alia; quæ ita existit, ut nulla prorsus alia re indigeat ad existendum. Deus, Ens summe Perfectum, independens, eo ipso distinguitur ab omni alia re.

XXI. 2. Pri-

XXI. 2. Primitas & Æternitas Dei docent, Deum existisse ante res omnes alias; adeoque solitarium; ita ut Deus exstiterit, cum nullum esset corpus, nulla mens, nulla cogitatio finita; res enim, quæ subest successioni momentorum, æterna esse non potest. Quomodo ergo mens æterna, quæ existit ante res omnes alias, ante mundum, posset esse *Anima mundi*? Quomodo mundo ita esset inserta, ut nec natura sine Deo, nec Deus sine natura esset?

XXII. 3. Ex Simplicitate & Immutabilitate Dei; cum Deus non sit hoc & hoc, sed simplicissima mens, indivisibilis, quæ partes non habet, & immutabilis; quomodo posset esse ea *Anima mundi*, à qua delibata & discerpta essent animæ humanæ, ut particulae animæ Divinæ? Hoc acute & eleganter exsequitur Cicero Lib. 1. de Nat. D. §. 27. *Nam Pythagoras, qui censuit, animum esse per naturam rerum omnem inientum & commeantem, ex quo nostri animi carperentur, non vidit distractione humanorum animorum discerpi, & lacerari Deum: & cum miseri animi essent, quod plerisque contingeret, tum Dei partem esse miseram: quod fieri non potest.* Pergit §. 28. *Cur autem quicquam ignoraret animus hominis, si esset Deus? quomodo porro Deus iste, si nihil esset nisi animus, aut infixus, aut infusus esset in mundo?*

XXIII. 4. Ex Unitate perfectissima Dei argumentari possumus contra *Animam mundi*, quæ sit Deus ipse. Ex ea enim spargerentur omnes animæ humanæ, & in eam redirent, & cum ea rursus unirentur. Idcirco quoque *immortalitatem animarum* docuerunt. Cum Deus singularissime sit unus, unum Ens summe Perfectum, una mens Perfectissima, unus creator, una substantia; quomodo animæ humanæ, quæ totidem sunt substantiæ realiter distinctæ, quæ aliquando non fuerunt, & existe-

exsistere cœperunt, cum Deo æterno, infinito, unico, unam & singularissimam substantiam, & quidem perfectissimam, constituere, aut ex ea manare & ad eam redire, ut quædam ejus *particula*, possunt? Quid absurdius, quid magis contradictorium, Deo injurium & blasphemum cogitari aut fingi potest?

XXIV. 5. Absurdissime statuitur, mundum corporeum esse corpus Dei, & corpora particularia esse membra sive partes Dei. Mundus aliquando non fuit, Deus semper fuit. Corpus Deo non competit. Mundus corporeus est opus & opificium Dei, minime corpus Dei; ac si cum Deo unum compositum efficeret. Acute rursus Cicero Lib. 1. de Nat. D. §. 24. *Quodque in nostro corpore si minima ex parte significetur, molestum sit; cur hoc idem non molestum habeatur in Deo? terra enim profecto, quoniam pars mundi est, pars etiam est Dei. atqui terra maximas regiones, inhabitabiles, atque incultas videmus, quod pars earum appulsu solis exarserit, pars obriguerit nive, pruinaque, longinquo solis abscessu. qua, si mundus est Deus, quoniam partes mundi sunt, Dei membra partim ardentia, partim refrigerata sunt. Quibus facile additur, eadem quibuscunque passionibus, doloribus, divisionibus, destructionibus, ut & morti, ac quibuscunque mutationibus obnoxia esse.*

XXV. 6. Uti per se absurdum est, mundum univrsum, cælum, sidera, terram, magnetes, & omnia esse animata; sic multo absurdissimum est & blasphemum, mundum per hanc *animam*, per Deum ipsum ut alteram sui partem esse animal, vitæ, sensus, rationis particeps, intelligens, & providentia omnia administrans. Deus voluit ut mundus exsisteret, summa ratione & sapienter eum fecit, conservat, curat, regit & gubernat. Sed inde nihil sapientiæ & rationis mundo
C
ineft,

inest, sed Deo Creatori & Rectori. Hinc concidunt facile omnia argumenta Stoicorum; quod mundo nihil sit pulcrius, melius, præstantius, excellentius; quod ergo rationis, sensus, vitæ, intelligentiæ, debeat esse particeps. Deo nihil præstantius aut pulcrius esse verum est; sed mundo, re dependente, producta, finita, quæ olim non fuit, falsum. Sic etiam dicunt, mundum generare & producere animantia; ergo debet esse ipse particeps rationis, sensus; uti ea, quæ procreat. Sed ita fingitur tantum productio per emanationem & generationem; & quidem factam à mundo ut causa solitaria & totali; cum tamen necessum sit admittere primam aliquam creationem, qua prima semina, animalia, vel & primæ plantæ, primique homines sint producti, omnipotente nutu & jussu Dei creatoris; cujus efficaci operatione & continua creatione etiam, quotquot unquam ex feminibus consequenter proveniunt & generantur, indigent, & sine qua nullum unquam animal, planta, aut homo generaretur.

XXVI. 7. Veræ spiritualitati Dei, mentis Perfectissimæ, adversatur, Animam mundi concipere instar ignis liquidi, ambientis sive circulantis, & intenti vel diffusi per totum universum; sic & naturæ animæ humanæ contrariatur eam concipere instar ignis, aëris, vel ætheris crassioribus corporis partibus infusi. Naturæ animæ non minus alienum est corpus subtile & igneum, quam crassa moles; ignis non magis cogitans & intelligens esse potest, quam saxum, rupes aut stipites. Deus vero maxime ab omni materia, subtilissima etiam, prorsus est secretus. Plato recte Deum dixit αἰσώματων. Quod citat, sed intelligere non potest Cicero, sive Vellejus Epicureus apud eum Lib. 1. de Nat. D. §. 30.

XXVII. 8. Denique etiam absurdissime statuunt, materiam licet inertem, Deo, causæ, sive rationi illi coæternam: quemadmodum causa & materia sunt duorum ipsorum principia æterna.

XXVIII. Confutata ita *Anima mundi*, quæ esset Mens Divina, Deus ipse, facillime porro confutatur *Anima mundi* Platonica, quam Plato à Deo distinxisse videtur, & habuisse pro opere Dei; quam Deus, licet corpore antiquiorem, tamen produxisset, ut Deum quendam beatum. Non potest quid statui existere in rerum natura, nisi ejus existentia ex certis argumentis & indiciis cognoscatur; sic novimus nostram mentem existere ex intima conscientia & cogitatione; Angelorum existentiam vel ex effectis, vel maxime ex apparitionibus, operationibus, & pluribus aliis, quæ S. Scriptura de iis docet, cognoscimus & demonstramus. Ita pariter, ut istiusmodi *Anima mundi* statuatur, deberet ejus existentia certissimis argumentis & indiciis cognosci & demonstrari. Quænam vero erunt ea argumenta? An quia mundo nihil datur melius, pulchrius, præstantius, idcirco sensus, vitæ, animæ & rationis, debet esse particeps, & animatus? Sed ita æque probaretur, mundum esse Deum. Quod tamen est absurdissimum & falsissimum. Adeoque falsum pariter est, quod assumitur & supponitur, mundo nihil dari melius, pulchrius, præstantius. Imo quanto perfectius est ens independens, à se & æternum, ente dependente, quod est ab alio, quod olim non fuit, & existere cœpit; quantum ens infinitum & potentissimum enti finito & imbecilli præstat; tanto præstantior, melior & perfectior mundo Deus est. Deus solus est æternus, independens, omniscius, omnipotens, creator & causa omnium rerum, totius rerum naturæ, ipsius mundi.

XXIX. An vero *Anima mundi* existentia ex motibus corporum cælestium perennibus, constantibus & æquabilibus cognoscetur & evincetur? An eam admittere oportet ob æstum maris, regularem ejus fluxum & refluxum? An eam probant directiones, conversiones, & motiones magneticæ? Sed aut una eademque *Anima mundi* erit causa omnium istiusmodi motuum in cælo & in terra; quæ vero anima finita & creata tantis effectibus par esse posset; cum nostra anima ad tantillum corpus movendum sit restricta & limitata? Aut ea *Anima* erit admodum multiplex, & tot erunt animæ, quot corpora motus habent perennes, constantes & æquabiles; sed ita non erit una *Anima mundi*, de qua quæstio est. Præterea aut Deus motum omnem, qui est in mundo, indidit, & potenter conservat; aut Deus nihil agit, & sola anima mundi, vel animæ innumerabiles id præstant. Si prius; ea causa prima sola sufficit; & posito Dei concursu ordinario, corpora omnia secundum leges naturæ, quas Deus in hujus mundi mechanismo sapientissime constituit, habitura sunt omnes illos motus, quos in cælo & terra, imo & in mari, in magneticis corporibus, & in ipsis plantis & animalibus, observamus; nec opus est quadam anima mundi, una, aut mille, aut multo pluribus. Quod universa & sola *Cartesii* Physica docet. Cui usui, cui necessitati ergo foret ea *Anima mundi*? Unde ejus existentia cognoscetur? Ut autem Deus nihil agat, sed ut *anima mundi*, una, aut plures, imo innumerabiles omnes illos motus & effectus producant, prorsus est absurdum & impossibile. Ex ea distinctione, quæ est inter animam & corpus, sequitur necessario, quod anima finita naturali vi & potentia ne vel minimam stipulam movere possit. Quod & experimur in nostra anima.

Ut ergo

Ut ergo nutu, vi, potentia, volitione & operatione animæ cujuscunque finitæ & creatæ, motus excitetur in quocunque corpore; (uti anima nostra motum excitat in spiritibus animalibus, eorumque ope in nervis, musculis, & corporis nostri membris, & consequenter in corporibus quibusdam extra nos positis;) requiritur ordo & nexus à Deo sapientissime institutus, placitum Dei ita ordinans, certosque motus & effectus animæ alicujus vi, potentia, volitioni, nutui & imperio subjiciens. Hinc vel minimus motus ab anima in nostro corpore productus evincit existentiam Dei, causæ primæ; à qua sola tam stupendus effectus esse potest. Ut ergo *Anima mundi* tot motiones in mundo independenter producat, absolute impossibile est. Cum ergo independenter nulla anima finita & creata ita agere possit; cumque dependens ejus operatio in tota rerum natura partim naturæ ejus finitæ contraria sit; partim nullius usus; nec ullo indicio innotescat; concludo, talem animam non posse, nec debere admitti; sed esse figmentum omni ratione destitutum.

XXX. Imo addo, scatens innumeris absurditatibus, contradictorium, & semet ipsum evertens. Quod ex præcedentibus jam facile ostenditur & deducitur. I. Anima una, universalis, simulque finita, omnibus illis effectibus par esse non posset; sed plurimæ, imo innumerabiles requirerentur; quod probavimus. Quomodo vero hæ omnes unam *Animam mundi* constituere possent? Quomodo inde carpi potuere animæ hominum, peculorum & volucrum? Quomodo ad eam reverti & redire possunt? Cum animæ humanæ sint separatæ substantiæ; quomodo tamen cum *Anima mundi* connectuntur? Si illa *Anima mundi* toti mundo, omnibusque ejus partibus sit inserta, & commeeat, & diffusa sit per totam

21 93

rerum

rerum naturam; quomodo tot animæ quotidie emanant ex illa anima mundi ad homines, qui nascuntur, ad pecudes, volucres, & omne genus animantium, quæ generantur? Si sit substantia spiritualis, intelligens & volens, distincta à corpore; quomodo pertingit & diffunditur per universum mundum corporeum? Si sit corporea substantia, ignis, aër, aut æther; quomodo cogitabit, intelliget & volet, rationisque erit particeps?

XXXI. Ex his omnibus concludo, opinionem veterum de *Anima mundi*, sive increata statuatur, & pro Mente Dei & Deo ipso habeatur; sive creata & à Deo producta agnoscat; esse fictam, omni ratione destitutam, & plurimis absurditatibus, contradictionibus, & obscuritatibus, involutam; ejusque originem repetendam esse ex ignorata vera mentis essentia & substantia, ac ejus cum corpore subtili, igne, vel aëre, confusione; maxime etiam ex eo quod Stoici mundum à Deo, opus à creatore, non recte distinxerint. Hinc jam facile confutatur *principium naturæ corporeæ hylarchicum*, qui esset *spiritus* quidam *incorporeus*, non intelligens, & tamen causa secunda omnium motuum & effectuum, qui in mundo corporeo contingunt; quem *Henricus Morus* finxit, & *Clar. Sturmius* fuisse confutavit; sed de eo proximè agere, Deo volente, constituimus.

C O R O L L A R I A.

1. Hypothesis simplicissima & Phænomenis explicandis aptissima tam Physico, quam Astronomo, admittenda est.
2. Generalem Corporum naturam in Extensione consistere aff.
3. Non ergo datur Vacuum.
4. Elementa vulgo dicta in locis naturalibus gravitare aff.
5. Gravitationem non esse essentialē Corporis attributum statuere aff.
6. Causa adscensionis aquæ in siphonibus citra recursum ad naturæ abhorrentiam a vacuo debet explicari.
7. Formas substantiales, Naturas plasticas, Principium Hylarchicum & alia id genus figmenta rejicimus.

F I N I S.